

Pro Parte Tertia hic eadem de Hypocritis Excerpta occurrunt, de quibus ad Cod. DCXXXVI. mentem aperuimus. Nec est, quod addamus, nisi displicere, cum totum Operis hujus titulum de Claustro Animae, quoniam de Claustro Animae non nisi unus agat Liber, tum divisionem ejus in Libros IV. quorum saltem primus pene nihil de Claustro. Qua de re viderit, qui olim Hugonum Victorini et de Folieto Opera ad dentatiorem limam revocaturus est, quam quidem Promulgatores Rothomagenses.

III. fol. 105. Incipit epistola domni Hugonis ad fratres de hamerisleve de soliloquio. Initium: Dilecto fratri G. ceterisque seruis christi Hamerisleue de gentibus. &c. Abfuit haec Epistola ab Exemplo, quod Cod. DCCCCLXXIV. produximus, cui ceterum consonat praefens, quod inscribitur: Incipit soliloquium dilectionis de arra anime. et extat una cum Epistola T. II. edit. suprac. p. 223.

CCVII. VII B. 3.

80 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 183. f. admodum nitide perscriptus et literis capitalibus auro, coloribusque variis complectitur L. Coel. Lactantii Firmiani, Scriptoris Seculi IV, Opera, fuitque olim, ut nomen adscriptum testatur, inter Joannis Sambuci Pannonii Tyrnaviensis Philologi insignis κειμηλια. Orditur ab elogiis, quae Hierony-

mus variis in locis Lactantio tribuit, iisque censuram subjicit, quae hoc initio: Lactantius quem nostri propter eloquentiam plurimum laudant &c. primum occurrit in editione Veneta Vindelini de Spira MCCCCLXXII. f. Censuram excipit Elenchus Capp. Librorum VII. Divinarum Institutionum, qui et ipse jam in antiquissimis editionibus habetur. Liber I. minio inscribitur: Lactantij Firmiani de falsa religione liber primus, incipitque: Magno et excellenti ingenio uiri &c. Statim lin. 1. voci dedissent alia manus syllabam di inseruit; plurimi enim Codices et Editiones antiquae dedidissent legunt. C. I. apostrophe tota ad Constantinum Imp. nobis deest. Loca graeca in ora libri manu coeva latine redduntur. C. VI. vocem Toyth, quae in Codicibus diversimode scribitur, relicto spatio noster transfiliit. C. XXIII. nobis in duo sectum est ita, ut a verbis: Restant adhuc aliqua, XXIV. incipiat.

L. II. C. 1. post verba: Gestio enim deficient ea: Constantine Imperator, illicoque post rectius legitur conuictis inanibus, quam manibus. C. IX. sub initium non habetur illa περικοπή: Sicut mater sine exemplo &c. nec illa haeresin Manichaeam sapiens, quae mox subsequitur: Fecit in principio bonum et malum &c. denique nec longior illa: Cur autem justus Deus &c. quae verbis: ad Deum deferat, et: Exorsus igitur &c: subinde interjecta deprehenditur.

L. III. C. VIII. ubi Editores *Parisini* T. I. p. 205. 1748. 4. legunt et tuentur *Clinicorum*, rectius noster *Cynicorum*; praecedit enim: *Peripateticorum et Stoicorum*. *Cynicorum* se nonnisi in Editionibus quibusdam reperisse adfirmant illi. C. XVIII. nobis in ea verba terminatur: *Cicerone et Catone seruatis*.

L. IV. C. I. lin. 1. defunt verba: *Constantine Imperator*. C. XXX. reliquis Haereticis enumeratis adduntur et *Ariani*.

L. V. C. I. lin. 1. adest apostrophe: *constantine imperator*; recentior tamen calamus in margine addidit *maxime*. Sub finem post verba: *ad aniles fabulas contulisset*, non comparet illa Interjectio: *Unde apparet disertissimo* &c. quam *Isaeus* in *Mf. Bon.* se reperisse testatur. C. XI. sub finem recte: *Domitius (Ulp.) de Officio Proconsulis libro septimo*. C. XII. sub finem pro *diis suis cariosis* legitur *nariosis*, notaturque recentiore manu in ora: *quia thuris odore tantum coluntur*. C. XVII. sub initium noster quoque rejicit illam *περιουσιον*: *Volens aliud esse jus — nullum foret*. Rejicit et illam C. XXII. sub initium: *A multis enim non coluntur*.

L. VI. C. I. pro *et conscientia* probabilius noster legit *et scientiam*; sequitur enim: *sine quo nec sciri quidquam potest*. C. IV. pro *ad unius hostis insidias* habet *unius inuisibilis hostis*. C. XXI. contra *Parisinam* legit: *ab aliquo perito doctore fundati minus credunt*.

L. VII. C. V. his verbis finitur: *apud Deum et cum Deo semper*, praetermissa illa proluxa oratione, quam et *Parifina* ut minus Catholicam *Laſtancio* abjudicat. C. XXVI. definit in haec verba: *et libenter hiis qui finxerint credunt*. Abest itaque *Peroratio ad Imperatorem*, quam *Parifina* post alias ut genuinam recepit. Totius Operis finis: *a domino consequamur*.

Fol. 155. p. 2. *Laſtancii firmiani de ira dei ad donatum liber incipit*. Hoc initium. Libri initium: *Animaduerti saepe donate* &c. C. III. sub finem adest illud: *nocere posse, prodesse non posse*. C. XII. sub initium in textu legitur: *dum diuinitatis intellectus quo differimus a beluis in homine solo reperitur iustitiam qua* &c. In ora vero: *quia diuinitatis sapientia intellectus est quo differimus a beluis. In homine solo reperiri iustitiam qua* &c. C. XVIII. sub initium abest illa *περιουσιον*: *Sed defertur aliunde tanquam dubium, nec unquam potest esse scelus tam clarum, ut defensionis locus non sit, et ideo potest iudex non*, quam *Parifina* recipit. C. XXI. in fine non male: *ut habeat homo respiciendi sui facultatem*, quae lectio *Parifinis* editoribus nullibi occurrere videtur. Ad C. XXII. adduntur haec verba: *Indignatur ergo aduersus peccatores*. C. XXIII. in duo nobis diuiditur, XXIV. ab his verbis incipiente: *Quapropter nemo uaniloquentia philosophorum inductus* &c. Finis Libri: *et nunquam uereamur iratum*.

649

P A T R I S T I C I

650

Fol. 170. *Lactantij. fir. de opificio hominis ad Demetrianum Liber Incipit.* Haec rursus rubro. Libri exordium: *Quam minime sim quietus &c.* C. I. sub finem noster quoque legit: *oculis contractari.* C. II. sub initium *pellibus* legit pro *pilis*; melius fortasse; non enim omnia animalia pilos habent. C. vero III. *boves luce*, cum *boves lucas* (Elephantes) aut *equos*, rescribendum esset. Sub finem C. IV. adfunt verba: *que reuerentia inter se? quis ordo?* quae Parisina repudiat. C. VII. post initium nihil de *imagine*, sed expedite legitur: *innumerales animantium preferat uarietates.* C. VIII. ubi de Sono in aures recepto sermo est, malo nostri: *foramina ipsa conueberent*, quam Parisinae *cobiberent*. C. XI. duas interjectiones: *in quod spiritus reciproca vicissitudine commearet*, et: *ut flecti cervix, ac moveri facile possit*, non agnoscit noster. C. XIX. Oratio Manichaeismo favens et passim veteratori cuiquam adtributa inserta est; incipit vero: *Dedit ei et constituit adversarium &c.* et finit: *victus prostratusque discedit.* Ultima Libri: *ad iter caeleste direxerit*, et rubro: *Lactantii firmiani de opificio hominis liber finit.* Haec Speciminis instar de Codice, cuius notitiam *Heumanno*, *Bünemanno*, *Lebrunio*, *Langletoque*, ultimis *Lactantii* editoribus, non ingrati futuram fuisse mihi persuadeo.

CCVIII. VII. B. 15

Codex membraneus lat. Sec. 9<sup>a</sup> XV. Folior. 256. f. nitidissime exaratus, fronte et literis initialibus deauratis, artificioseque picturatis complectitur *Coelii Lactantii Firmiani* Sec. IV. Scriptoris Opera locis graecis rite ubique insertis, et variis in margine castigationibus adpositis. Inscriptio purpurea sic habet charactere quadrato: *Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum Aduersus Gentiles. Liber Primus.* Libri omnes septem integerrimi sunt, non tamen in Capita divisi. Lectio passim proba, et ad recentissimas editiones, *J. Lud. Bünemanni* Lipsiensem 1739. 8. et Parisinam *J. B. Le Brunii* 1748. 4. intelligimus, accedens. Ita L. II. init. legitur: *conuictis inanibus.* L. III. restituitur: *nisi ornatu aliunde questito circumlitum fuerit ac politum.* Sub finem L. IV. cum aliis Haereticis nominantur et *Arriani*. Post init. L. V. ubi de *Cypriano* sermo est, non comparet interjectio illa: *Unde apparet disertissimo &c.* L. VI. init. *et scientiam* legit noster, non *et conscientia*. Versus finem L. VII. abest tota illa ad *Constantinum* Imp. apostrophe, quae incipit: *Sed omnia jam sanctissime Imperator &c.* Haec speciminis ergo; plura enim jam ad praeced. *Lactantii* Codicem adnotavimus. Illud addendum: graecorum locorum interpretationem latinam ipsi textui ubique insertam esse.